

§. 14. Nos media inessuri via, ipsamque Institutionis S. Cœnæ literam secuturi, non improprietatem ejus, nec vim magicam, quarum neutra datur, probamus, sed tuemur literæ proprietatem. De qua D. Calovius in Socinismo Profligato Sect. IIX. de Sacram. Art. 2. de Euch. §. 1. & in Synopsi p. 791. ita: *Nostri Ecclesie invidius hætenus documentis (urserunt) sensum proprium & literalem verborum Cœnæ substantialium, b. e. substantiam S. Eucharistie exprimentium, Edite, Hoc est Corpus meum, Bibite, Hoc est sanguis meus, de his enim controversa est, non vero in genere de omnibus vocibus, quæ forte in descriptione institutionis S. Cœnæ occurrunt, aut alias in tractatione de Eucharistia in scripturis leguntur, quod probe notandum.* Quomodo non amplexamur Analogiam Reformatorum, eo quod à proprietate literæ recedit, nec transubstantiationem, quæ fundatur in magica Literæ vi aut facultate, prorsus quasi vi istorum verborum H. E. C. M. H. E. S. M. panis corpus Christi, ac vinum in sanguinem Christi transubstantientur, idque ut loquuntur Tridentini, mirabili quadam ac singulari conversione, manentibus saltem speciebus panis & vini. Sed nec nudæ repetitioni Verborum Institutionis, tanquam operi humano tribuimus talem causalitatem qua præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœnæ causetur, sed id soli omnipotenti virtuti Domini nostri JESU Christi relinquimus, secuti Form. Concord. Art. 7. de Cœnæ Domini p. 747. dicentem: Præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœnæ non efficit ullius hominis vel verbum vel opus, vel dignitas sive meritum sive pronuntiatio Ministri, seu manducatio, seu fides communicantium, horum nullum nobis corpus & sanguinem Christi præsentia facit, sed hoc totum, quod in Cœnæ corpus Christi præsens habemus, simpliciter & in solidum omnipotentis Dei virtuti & verbo Institutioni atque ordinationi Domini nostri Jesu Christi est adscribendum, & p. 748. Quando ad ipsius mandatum & institutionem in administratione Cœnæ Dominicæ dicimus: Hoc est corpus meum, tum re vera est ipsius corpus meum, tum re vera est ipsius corpus, non propter nostram pronuntiationem, aut quod hæc verba pronuntiata hanc habeant efficaciam, sed quia Christus nobis præcipit, ut hæc verba pronunciemus &c. Vacillat itaque quorundam Theologorum hypothesis: *Unio sacramentalis pendet ex vi ac virtute*
Recita